

in re omnino certa; quæ probatur primo ex illis Scripturæ locis, in quibus hominibus vere pœnitentibus, seque post peccatum per amorem, dolorem, et contritionem ad Deum convertentibus, vera justificatio et remissio peccati promittitur, ut est illud Ezech. 18: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, et alia similia, quæ omitto, tum quia vulgaria sunt, tum quia in materia de pœnitentia et de gratia latius tractantur.* Ex quibus colligimus, non solum posse hominem justificari ante realem susceptionem baptismi, verum etiam frequenter ita fieri, quia interior cordis motus in Deum, et adversus peccatum uno momento perficitur, priusquam homo baptizari possit. Nam baptismus et ab alio conferendus est, et temporis successionem requirit; motus autem interior et ab alio non pendet, præterquam a Deo, et ab ipso homine peccatore, et in instanti perfici potest. In hujus autem veritatis confirmationem habemus illustre exemplum Act. 10, ubi Cornelius, antequam baptismum susciperet, justificatus est, et prædicante Petro, Spiritus Sanctus cecidit super multos, qui nondum baptizati fuerant, de quibus Petrus dixit: *Numquid aquam quis prohibere poterit, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut et nos?* Secundo probatur haec veritas testimonii Patrum, ex quibus multa congeruntur in decretis de Consecr., dist. 4, præsertim in cap. Baptismi vice, et in cap. Non dubito, ex Augustin., lib. 4 de Baptismo, cap. 22 et seq. Idem Augustin., lib. 2 contra litteras Petil., ubi in illo hæretico contrarium errorem damnat; citatur etiam Augustin. in lib. 8 de Civit. Dei ab Innoc. III, in cap. Apostolicam, de Presbytero non baptizato, ubi etiam refert Ambrosium, oratione de obitu Valentini, circa fin., ubi inter alia inquit: *Audio vos dolere, quod non acceperit sacramentum baptismatis; atqui hoc etiam in votis habuit. Non ergo habuit gratiam, quam desideravit? Non habuit, quod poposcit? Imo, quia poposcit, accepit.* Idem late docet Bernardus, dicta epist. 77, ubi inter alia ponderat, dixisse Christum Marci ult.: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvis erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* non vero dixisse: *Qui non baptizatus fuerit, condemnabitur,* quia per fidem vivam homines justificari possunt etiamsi baptismum re ipsa non suscipiant. Quod etiam vere docuit Hugo Victorinus, lib. 2 de Sacram., part. 6, cap. 7. Propter quod Trident. Concil., sess. 6, cap. 4, docet, post Evangelio promulgatum neminem transferri a statu peccati in statum gratiæ, sine lavauro regenerationis, aut ejus voto. Ita exponens verba Christi Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Tertio adjungi potest ratio, quia interior justificatio fit per infusionem gratiæ, et charitatis, per quam etiam peccatum expellitur; sed ultima dispositio ad hanc justitiam potest haberi prius tempore, quam homo realiter baptizetur; ergo etiam ipsa justificatio. Minor probatur, quia juxta Concil. Trident., sess. 6 et 14, ultima dispositio ad justitiam est vera pœnitentia ex amore Dei super omnia procedens, cum voto præstandi reliqua, quæ necessaria sunt. Hoc autem totum fieri potest ante baptismum, ut per se notum est, et ex dictis etiam est probatum. Consequentia vero principalis argumenti probatur tum Scripturis, quia cor contritum et humiliatum Deus non despicit, sed diligit potius diligentes se; tum ratione theologica, quia facient quod in se est, per gratiæ auxilium, Deus non denegat suam gratiam, et justitiam; tum ratione morali, quia voluntas pro facto reputatur, ubi facultas deest, præsertim apud Deum, qui corda intuetur; tum denique ratione philosophica, quia, posita ultima dispositione, statim infunditur forma.

3. Corollarium. — Ex quibus infero, non satis perfecte scripsisse Pamelium super epist. 54 Cypriani, circa finem, improbabilem esse eorum sententiam, qui solam contritionem sufficere plerunque existimant ad remissionem peccati absque baptismu re ipsa suscepto. Unde subdit inferius, etiam si ordinari non sit peccatorum remissio in decadentibus sine confessione et baptismu, tamen interdum, atque in necessitate operari Deum sine sacramento. Ex quibus verbis colligere licet, quid ipsum moverit ad eam sententiam, nimurum, quia Patres solum docent, contritionem sufficere sine baptismu in casu necessitatis, ut constat ex Cypriano ibi, et Augustin., lib. de Natura boni contra Manichæos, cap. ult., et lib. 4 de Adulterinis conjugiis, cap. ult. Verumtamen hæc sententia sustineri quidem posset, si sermo esset de ultima salute, seu gloriæ consecutione, ut statim dicam; tamen loquendo de justificatione et remissione peccati, defendi non potest, quia non solum non est improbabile ad hujusmodi effectum sufficere contritionem cum voto baptismi absque reali susceptione sacramenti; verum potius est certum et

tholicum dogma, ut probant quæ adducta sunt, et quæ tradit Concil. Trident., sess. 6 et 14. Atque hinc fit, ordinarie accidere posse adultum catechumenum justificari ante realem susceptionem sacramenti. Quia juxta leger: *gratiæ ordinariam fieri facile potest, ut veram contritionem habeat, prius tempore, quam baptizetur.* Neque hoc est contra mentem Sanctorum, qui necessitatem aliquam requirunt. Nam hic etiam intercedit aliquis modus necessitatis, eo quod non sit in potestate hominis statim et in momento baptizari, sicut est in hominis potestate statim ac sine dilatione converti, cum qua perfecta conversione conjuncta est sanctificatio, ac peccati remissio. Contra hanc vero doctrinam objici possent nonnulla Patrum testimonia, quæ non minus possunt contra sequentem conclusionem urgere, et ideo inferius melius proponentur.

4. Secunda conclusio. — Objectio. — Dicitur. — Objectio. — Respondeatur. — Dico secundo: regulariter ac per se loquendo, non assequuntur homines beatitudinem absque reali susceptione baptismi; interdum tamen accidere id potest, interveniente impedimento suscipendi sacramentum. Assertio est certa, et quoad priorem ejus partem habemus exempla Actor. 9 et 10, ubi Paulus ait: *Cen-turio et alii fideles, qui per fidem et in-teriorum conversionem justificati fuerant, et Spiritum Sanctum acceperant, baptizati sunt ut æternam vitam consequi possent.* Unde Augustin., lib. 4 de Bapt., cap. 21, sic inquit: *Si contritus post Spiritum Sanctum acceptum baptizari noluissest, contempti sa-cramenti reus fieret.* Et infra dicit: *Bono catechumeno deest baptismus ad consequen-dum regnum cœlorum.* Et lib. 1 Quest. ad Simplicianum, quest. 2: *In quibusdam, in-quit, tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad capessendum regnum cœlorum, sicut in catechumenis, ut in Cornelio, antequam sa-cramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ.* Et infra: *Fiunt conceptiones quæ-dam fidei conceptibus similes; non tamen solum concipi opus est, sed etiam nasci, ut ad vitam perveniatur æternam.* Et similia habet quest. 33 in Num. Quæ omnia per se intel-ligenda sunt, ac seclusa necessitate, quæ omnino cogat hominem sine baptismu mori. Dices, idem esse de justitia seu sanctitate; quæ est ergo differentia quam Augustinus significat, quamque etiam nos in hac, et pre-cedenti conclusione indicavimus? Respon-

detur, esse quidem in hoc similitudinem, quod sacramentum baptismi per se institutum sit, ut medium necessarium tam ad remissio-nem peccati, quam ad beatitudinem obti-nendam; tamen est differentia, respectu adulorum, quod regulariter ac moraliter loquendo, non possunt tam cito baptismum recipere, quam remissionem peccati obti-nere, si, quod in ipsis est, facere et præstare velint; at vero respectu gloriæ, quantumvis interius perfecte se disponant, non possunt statim illam consequi, et ideo frequenter ac regulariter possunt prius re ipsa baptizari, quam ad beatitudinem perveniant. Et hæc est tota ratio hujus partis; nam baptismus re ipsa susceptus per se loquendo, est medium necessarium ad capessendum regnum cœlorum, ut constat ex verbis Christi, Joan. 3, et est etiam in præcepto, ut ex Matt. et Marci ult. colligitur; sed adulti, per se ac regulariter loquendo, possunt uti hoc medio, et implere hoc præceptum, antequam moriantur; ergo moraliter loquendo, hoc est illis necessarium. Atque hinc facile probatur altera pars conclusionis, quod frequenter docent Patres supra citati, et est res omnino certa, quia non est dubium, quin possit interdum accidere, ut fideli catechumeno, vereque pœnitenti, et in extrema vita necessitate posito, desit copia baptismi, reliquo tempore vitæ usque ad mortem. Hoc enim humanum est, neque est quod singamus miracula aut extraordinariam Dei providentiam, ut evitentur hujusmodi pericula et naturales defectus; ipsaque experientia docet, hoc sæpe accidisse in necessitate sacramenti baptismi, et frequenter in sacramento pœnitentiæ. Posito ergo hujusmodi eventu, necesse est, hujusmodi hominem per contritionem justificatum sine reali susceptione baptismi salvari, quia vera jus-titia usque ad mortem conservata perducit hominem ad regnum cœlorum. Conservatur autem usque ad mortem, si nullum peccatum mortale interveniat; qui autem omittit baptis-mum ob solam impotentiam, in hoc non peccat, et simul potest alia peccata vitare, cum sit justus, et auxilium Dei illi non desit. Ergo si id faciat, salvabitur ex vi justitiae comparatae per contritionem et baptismum in voto, etiam si decedat absque baptismu in re suscepto. Dices: ergo, si in aliqua debita opportunitate catechumenus ex negligentia baptismum omittat, ut mortaliter peccet, et amittat justitiam, postea non poterit salvari, si baptizari non possit. Respondeatur, si post

priorem culpabilem omissionem illius peccati vere conteratur, non minus poterit per illam secundam contritionem, et baptismi votum salvari, quando deest copia baptismi, quam prius posset, si eadem necessitas occurisset. Nam baptismus flaminis iterabilis est, et per quacumque contritionem remittitur culpa, etiam si saepius iterata sit, et comparata justitia, quæ postea non amittitur absque novo peccato.

5. *Impugnatur conclusio ex variis Sanctorum testimoniiis.* — Sed objici possunt contra dicta varia Sanctorum testimonia. Primum sit, quod Siricius Papa, et alii antiqui Pontifices monent, non esse negandum alicui baptismum in necessitate existenti, ne ob defectum necessarii regno cœlorum privetur; sentiunt ergo baptismi susceptionem esse necessariam ad obtinendam gloriam, nec sufficere desiderium ejus, alioqui nullum crearetur periculum homini petenti baptismum ex denegatione illius, quia per suum desiderium posset salvari. Secundo Ambr., lib. de His qui initiantur, cap. 4: *Credit*, inquit, *catechumenus, sed nisi baptizetur, remissio nem peccatorum non potest obtinere, neque gratiae munus haurire.* Tertio, Augustin., lib. 4 de Bapt., cap. 21, inquit: *Deest bono catechumeno baptismus ad capessendum regnum cœlorum, sicut deest malo baptizato vera conversio: qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit, etc., dixit etiam: Nisi abundaverit justitia vestra, plus quam scribarum et phariseorum, etc.; sicut ergo malo baptizato in re ipsa necessaria est conversio, ut salvus fiat, ita bono catechumeno re ipsa necessarius est baptismus, ut regnum cœlorum obtineat.* Unde idem Augustin., tract. 13 in Joan.: *Quantumcumque, ait, catechumenus proficiat; adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, nisi cum pervernerit ad baptismum.* Ubi per sarcinam iniquitatis videtur intelligere reatum amittendi regnum cœlorum ex peccato contractum. Unde lib. 3 de Anima et de ejus origine, cap. 9, indicat, credendum non esse, catechumenum sine baptismō mortuum ad beatitudinem pervenisse; et lib. de Confession., cap. 4, de seipso dicit, quamvis ante baptismum fidem haberet, deque peccatis commissis paeniteret, nunquam de obtenta illorum remissione fuisse securum, donec illam in baptismō esset assecutus. Quarto Fulgentius, de Fide ad Petrum, cap. 3, circa finem: *Ex illo, inquit, tempore, in quo Salvator dixit:*

*Nisi quis renatus fuerit, etc., absque sacramento baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cœlorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam. Ubi notanda est illa exceptio, quæ (ut juristæ dicunt) firmat regulam. Igitur ex sententia Fulgentii solus baptismus sanguinis sufficit sine baptismo aquæ ad obtinendum regnum cœlorum.*

6. Quinto, eamdem sententiam difficillime confirmat Gennadius, l. de Eccles. dog., c. 74, dicens: *Baptizatis tantum iter esse salutis credimus. Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur.* Sexto, Nazianz., orat. de Baptism., circa medium, dicit, catechumenos esse in vestibulo pietatis, ad quam per baptismum intrant. Unde subdit inferius: *Quid autem inquires, quosdam privari baptismō vel propter infantiam, vel propter inopinatum aliquem casum, quo efficitur, ut neque cupientibus gratia potiri liceat?* Et inferius concludit hujusmodi homines, nec cœlesti gloria, nec suppliciis a justo judice affici, utpote, qui licet signati non fuerint, improbitate tamen parent, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint. Septimo, afferre possumus Richardum et Hugonem Victorinum, qui de sacramento penitentiae dixerunt, per solam contritionem et votum ejus non omnino remitti æternae poenæ reatum, nisi sacramentum ipsum suscipiat. Videatur enim eadem ratio esse de baptismō.

7. Hæc Patrum testimonia, generatim loquendo, partim intelligi possunt eodem modo, quo verba Evangelii, partim sunt pie exponenda, de illo qui baptismum voluntarie omittit, eum possit ante mortem illum suscipere, partim vero sunt corrigenda, quia nonnulla certe commoda expositionem non admittunt. Sed facilius omnia expendentur, si per singula verba breviter discurramus. Ad 1 respondet, quamvis possit quis sine baptismō salvari ob impotentiam recipiendi illum, multo tamen certiore esse salutis consecutionem, si homo sine baptismō non decebat, quia vera contritio difficultis valde est, et ideo in magno periculo constituitur fidelis, si tempore necessitatis ei sacramentum deneretur. Nam fortasse illo suscepto salvabitur, et sine illo condemnabitur, non quia impossibile sit sine illo salvari, sed quia fortasse veram contritionem non habebit, et hoc periculum merito docent esse cavendum Siricius et

alii Pontifices. Adde sacramentum ipsum, per se loquendo, esse necessarium, et ideo ne-gandum non esse tempore necessitatis ab Ecclesiæ ministris. Nam sicut fidelis tenetur illud accipere in illo præsentim articulo, ita et ipsi tenentur illud ministrare, si moraliter possint. Ad 2 respondet, Ambros. expōendum esse de baptismō in re, vel in voto. Sola enim fides non sufficit catechumeno ad remissionem peccatorum et gratiam consequendam, nec poenitentia seu contritio illi sufficeret, nisi votum baptismi includeret. Ad 3 respondet, non oportere similitudinem in omnibus tenere. Bono ergo catechumeno adhuc deest sacramentum baptismi, per se loquendo, et in hoc tenet comparatio inter illum et baptizatum peccatorem, qui indiget conversione. Est autem differentia, quod vera conversio possit semper re ipsa exhiberi; unde non potest in solo voto sufficere; imo si proprie loquamus, non potest contineri in voto, id est, aliquo alio priori actu, qui non sit ipse supernaturalis conversio in Deum, et aversio a peccato propter Deum. Cum enim ipsa interior conversio sit ultima dispositio ad gratiam, non potest sine illa obtineri secluso sacramento, quia non potest forma introduci sine ultima dispositione. At vero exterior susceptio sacramenti, neque est ex natura sua dispositio ad gratiam, sed solum ex institutione est necessaria, nec semper est in hominis potestate, et ideo interdum potest votum illius sufficere. Ad alterum locum Augustini, qui revera difficultis est, respondet, per sarcinam iniquitatis non potuisse August. intelligere reatum æternae poenæ, cum per se satis constet, hunc reatum tolli cum ipsa culpa, quod tam est frequens apud August., ut verisimile non sit, eum in hoc dubitasse. Possumus ergo per sarcinam iniquitatis intelligere reatum aliquem poenæ temporalis. Unde dicit, hanc sarcinam non remitti nisi in ipso baptismō, quia ex ordinaria ac certa lege plenaria remissio totius culpe et poenæ non nisi per sacramentum datur. Unde fit, ut regulariter loquendo, catechumenus, qui per solum interiore actum justificatur, semper maneat obnoxius alicui temporali poenæ. Vel, si hoc non satisfacit, quia non est in universum necessarium, dici potest catechumenus justus portare sarcinam iniquitatis, quia licet illi sint remissa peccata, tamen id factum est in ordine ad baptismum suscipendum, ad quod manet obligatus, et ideo, donec sacramentum re ipsa suscipiat, non censetur omni liber ab illo onere, quod dici potest ex peccatis ortum, quia ob remissionem peccati impositum est. Atque hac etiam ratione non censetur catechumenus secundum præsentem statum satis expeditus et aptus ad regnum cœlorum, sed necesse est, ut per ipsum sacramentum amplius se disponat, si tamen possit. Tertius Augustini locus facilior est; solum enim dicit, infantes non posse sine baptismo salvari, quod postea videbimus; indicat tamen eamdem esse rationem de adultis. Nam objicit de bono latrone, qui sine baptismo salvatus est; et de quodam Dinocrate fratre sanctæ Perpetuae, qui mortuus fuit sine baptismo, et tamen precibus sororis suæ salutem est consecutus; et de latrone quidem respondet, fortasse fuisse baptizatum, non tamen necessarium erat Augustino de latrone esse sollicitum, quia tunc nondum erat baptismus ad salutem necessarius. De Dinocrate vero similiter respondet Augustin. fortasse fuisse baptizatum; post baptismum autem peccasse, et ideo post mortem fuisse in penitentia, de quibus sorore orante liberatus est. Sed si sit sermo de poenis inferni, non video, cur sit credibilis ab eis fuisse liberatum per orationem sororis, si decessit baptizatus, quam si catechumenus, quia secundum legem ordinariam, tam impossibile est salvari sine poenitentia post peccatum commissum post baptismum, quam sine baptismō ratione peccati originalis et aliorum, que possunt baptismum antecedere. Si vero sit sermo de poenis purgatori, sicut potuit ad illas pervenire jam baptizatus propter peccata commissa post baptismum, ita etiam potuit catechumenus ad easdem poenas deduci, si per contritionem justificatus fuit, non tamen ita perfecte, ut plenam remissionem peccatorum obtineret. Potuit ergo Dinocrates ab illis poenis, sororis orationibus, liberari, etiam si catechumenus mortuus fuisse. Quæ ratio, ut verum fatear, convincit, responsionem Augustini, etsi sufficiens fuerit ad eludendam et enervandam objectionem, non tamen fuisse necessarium, facilisque potuisse respondere per distinctionem baptismi in re, vel in voto, si illius meminisset. Quamvis autem de illa tacuerit, nunquam tamen eam negavit, nec negare potuit, cum ex doctrina ejus, et ex aliis locis supra citatis constet, in easu necessitatis, votum sacramenti sufficere, Deumque supplere quod non voluntas, sed necessitas abstulit, ut ex doctrina ejusdem Augustini late docet Waldensis, tom. 2 de Sacram., c. 97 et 98.

Quartus locus Augustini eamdem habet responsionem, quæ primo loco ad Siricium data est. Merito enim ante baptismum erat sollicitus de obtenta remissione peccatorum, quæ accepto baptisme multo facilior est, atque securior. Ad 5 respondetur, dictum Fulgentii esse verum, intelligendum tamen esse per se, ac seclusa necessitate et impotentia, vel quod idem est de baptismō in re, vel in voto, quando in re non potest applicari. Quod vero solum excipit martyrium, fortasse ideo est, quia sub baptismō aquæ votum ipsius comprehenditur, vel etiam id fecit ad commendandam excellentiam et speciale privilegium martyrii, quod non solum salvat, ut votum baptismi aquæ, sed quodammodo etiam vi sua, ut inferius latius explicabimus; vel etiam dici potest, neminem sine baptismō mortuum, statim accipere regnum cœlorum, excepto martyrio, quia, ut supra dicebam, non sit plena remissio in voto sacramenti sine ipso sacramento; quod tamen privilegium soli martyrio commune est. Haec vero ultima responsio neque est juxta mentem Fulgentii, qui non loquitur de tempore, seu mora consequendi regnum cœlorum, sed absolute de consecutione illius, neque est universiter vera, sed solum regulariter, ut supra dictum est. Ad 6, ex lib. de Ecclesiast. Dogm., D. Thom., quæst. præced., art. 2, ad 2, addit ultimam responsionem, quam nuper dedimus ad Fulgentium; sed valde dubito, an sit ad mentem auctoris, propter ea, quæ dicta sunt, et quia loquitur de catechumeno in bonis operibus defuncto. Fieri autem potest, ut catechumenus per bona opera sua ita satisfaciat pro peccatis suis, ut statim in cœlum evolet. Ideo responderi potest, Gennadium loqui de catechumeno habente quidem alia bona opera; voluntarie tamen, seu negligenter omittente baptismum. Ita respondet Glossa ibi, et in c. Baptismi, de Consecr., dist. 4. Non tamen videtur posse accommodari, quia hoc modo non haberet locum exceptio martyrii, quia si quis voluntarie baptismum omitteret, etiam per martyrium salvari non posset. Tenetur enim fidei confessor, si baptizatus non est, prius baptizari, quam martyrium subeat; et ideo si voluntarie baptismum omittat, nihil illi proderit martyrium. Quod si dicas, posse tunc prodesse martyrium, si baptismus jam non sit in potestate, et prioris omissionis hominem peniteat, sed hoc idem est in baptismō flaminis, ut supra diximus. Necessario ergo retinenda est D. Thom. responsio, dum

melior non occurrit, et sententia ilia moraliter ac regulariter intelligenda est, ut saepius est dictum. Septimum Nazianzeni testimonium vix habet interpretationem ullam. Nam aperte loquitur de adulto; nam sermonem habet de illo, qui per proprium actum desiderat baptismum. Item manifeste tractat de illo, qui sine ullo peccato suo, sacramento caret, et hunc dicit non pervenire ad regnum cœlorum, et, quod obscurissimum est, distinguunt tres ordines adulorum baptismō carentium. Nam alii sunt baptismi contemptores; alii non tam animi pravitate, quam stultitia a baptismō aberrarunt; postremi denique absque improbitate passi sunt potius, quam fecerunt baptismi iacturam, et de his postremis, inquit, nec cœlesti gloria, nec suppliciis a justo judice esse afficiendos. Quem locum nonnulli de infantibus explicare volunt, illos solos in illo tertio ordine constituentes. Sed revera est præter mentem Nazianz., qui non solum infantes, sed etiam aliquos adultos in illo ordine numerat, sic enim ait: *Alii ne accipere quidem possunt, vel propter infantiam fortasse, vel propter inopinatum prorsus, et violentum aliquem casum, quo efficitur, ut neque cupientibus quidem gratia potiri liceat.* Possemus autem utcumque exponere Nazianz. de illis adultis, qui desiderant quidem baptismum, non tamen sufficierent se disponunt ad gratiam consequendam. Hi enim propter solum desiderium regnum cœlorum non assequentur. Quod si contingat, eos peccata actualia non commisisse (quod raro vel fortasse nunquam eveniet) non afficiuntur supplicio, scilicet quoad poenam sensus; aut si alia peccata commiserint, punientur quidem propter illa, non tamen propter carentiam baptismi. Ad ultimum ex Rich. et Hug. de S. Victor. respondetur, falsam esse eorum sententiam, ut latius ostendemus, tractando de sacramento pœnitentiae.

8. *Dubitatio.* — *Tres dicendi modi propounderuntur.* — *Primus.* — *Impugnatur hic modus dicendi.* — Superest vero dubium circa præcedentem doctrinam, quale requiratur baptismi votum ad remissionem peccati obtainendam absque reali susceptione sacramenti; cumque certum sit, requiri veram peccatorum contritionem, seu amorem Dei super omnia, difficultas solum esse potest, an præter hos actus requiratur proprium desiderium, et explicitum propositum suscipiendo baptismum, quod explicitum propositum expressam cognitionem et fidem baptismi requirit; an vero sufficiat implicitum

desiderium, quod in ipsa contritione et in generali proposito servandi omnia mandata continetur. Quod dubium tractari etiam solet de confessione, seu proposito confitendi peccatum mortale post baptismum commissum. Nam quoad hoc, eadem est utriusque sacramenti ratio, quia æqua est utriusque necessitas in ordine ad suum effectum. Tres igitur possunt esse dicendi modi. Primus est, tam ad justitiam, quam ad gloriam obtainendam esse necessarium expressum desiderium baptismi. Hujus vero opinionis, neque auctorem invenio, neque fundamentum. Quamvis Soto interdum videatur ex parte illi favere; nam licet hic, dist. 5, art. 2, post medium, solum implicitum votum exigere videatur, tamen infra, dist. 14, quæst. 1, art. 5, sub distinctione dicit his, qui non habent notitiam baptismi, sufficere implicitum votum ejus; his vero, qui jam habent baptismi fidem, necessarium esse votum explicitum, quia tenentur, quam primum possint, baptismum suscipere. Sed revera haec ratio nullius momenti est. Nam quamvis fidelis, dum recitat sua peccata et de illis dolet, non proponat expresse suscipere baptismum, potest postea baptizari tempore debito. Sicut etiam tenetur restituere alienum, cum primum possit, et tamen non oportet, ut hoc expresse proponat, cum justificatur, sed sufficit generale propositum servandi mandata. Quod si non mutetur, sufficiet, ut postea opportunis temporibus implentur. Deinde sicut is, qui caret notitia baptismi excusatur ab hoc expresso proposito propter ignorantiam, ita, qui habet jam fidem hujus sacramenti, poterit excusari ab expresso desiderio propter actualem inconsiderationem. Fieri enim potest, ut subito excitetur ad considerationem divine bonitatis, et suorum peccatorum, quibus illam offendit, nihil prorsus tunc de baptismō considerans, atque ita movetur in Deum per veram conversionem et pœnitentiam. Ergo tunc justificabitur sine alio explicito desiderio baptismi. Quin potius excogitari potest casus, in quo etiam si baptismus memoria occurrat, non oporteat propositum seu desiderium explicitum ejus concipere; ut si hujusmodi homo in extremo mortis articulo constituantur, in quo judicet sibi jam esse impossibile baptizari, ille certe tunc non tenetur absolutum propositum suscipiendo baptismum habere. Est enim illud impossibile, quia jam hic et nunc res judicatur impossibilis; neque etiam videatur necessarium, ut habeat propositum con-

dionale, scilicet: Propono baptizari, si hoc periculo eripiar, vel aliter: Vellem baptizari, si possem. Nam hujusmodi actus nullius fere momenti aut fructus sunt in eo casu, in quo apprehenditur conditio ut impossibilis et nunquam exequenda. Erit ergo tunc utilius, in Dei amore, et peccatorum detestatione prorsus occupari. Non est ergo alius actus necessarius, neque afferri potest fundatum sufficiens hujus necessitatis. Quocirca etiam extra prædictum necessitatis articulum, et posita cognitione et cogitatione baptismi, non videtur specialiter necessarius hic actus ex vi alicuius specialis præcepti, aut institutionis, propter quam, per se loquendo, sit necessarius hic actus ad justificationem, sicut sunt amor Dei, et dolor de peccatis, et propositum non peccandi de cætero. Quamvis moraliter vix fieri possit, quin homo jam credens, et amans Deum, et proponens illi placere in omnibus, si simul actu cogitet de baptismō, ejusque necessitate, statim illum desideret, ac proponat suscipere, cum primum possit. Haec tamen moralis necessitas magis oritur ex propensione voluntatis suppositis prioribus actibus, quam ex speciali institutione, aut præcepto habendi statim talem actum, ut dixi, quia hoc revera neque est expresse traditum aut scriptum, nec necessario sequitur ex institutione ac necessitate baptismi, ut ostensum est.

9. *Secundus dicendi modus.* — Secundus modus dicendi alia distinctione utitur, nimirum, ad comparandam justitiam in hac vita, non esse necessarium desiderium explicitum, sed sufficere implicitum; ad obtainendam vero gloriam in alia vita, necessarium esse, ut in hac vita aliquando præcedat explicitum baptismi desiderium. Ita sentit Cano, Relect. de Sacram. in gen., part. 2, et Relectione de Pœnit., part. 1, qui videtur fundari in hoc, quod de necessitate fidei explicitæ Christi ad justitiam vel gloriam, simili distinctione usus est. Verumtamen haec distinctio nec de fide ipsa habet fundamentum, et multo cum minori probabilitate ad baptismum applicatur, si sermo sit de necessitate simpliciter. Nam per se loquendo, interior dispositio, quæ sufficit ad justitiam, potest etiam sufficere ad gloriam, si non occurrat nova aliqua obligatio, absque excusatione vel impedimento implendi illam. Sed fides et voluntas implicita baptismi sufficit ad justificationem. Ergo potest etiam sufficere ad gloriam, quia potest contingere, ut vel propter vitæ brevitatem,